



Tentamen practicum inaugurale de dysenteria

<https://hdl.handle.net/1874/295346>

3

TENTAMEN PRACTICUM
INAUGURALE
DE
DYSENTERIA.

QUOD
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI
ALEXANDRI PETRI NAHUYS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. atque
Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu*, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privi-
legiis rite ac legitime consequendis,

E. S. E.

PAULUS NAGY BOROSNYAI,
Transylvano - Hungarus.

Ad diem xxvii. Maji MDCCLXXX. H. L. Q. S.

TRAIECTI AD RHENUM
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG
ACADEMIAE TYPOGRAPHI MDCCLXXX

TENTAMEN PRÆACTIVUM
IN ANATOMIA

D. R. ...
D. Y. S. E. N. T. I. A.

TAVENTE DEO FER. OPT. MAX.
... Rectoris Praesentis

ALEXANDRI PETRI NAHUY

A. L. ...
Prof. ...
E. S. N.

...
...
...

PRO GRADU DOCTORIS

...
...

E. S. E.

FRANCOIS HAY BOSSNY

...

...

...

...

ILLUSTRIS ACADEMIAE RHENO-
TRAIECTINAE PROFESSORIBUS

VIRIS

SOLIDISSIMIS AC ERUDITISSIMIS

* * *

ALEXANDRO PETRO NAHUYS,
A. L. M. PHIL. & MED. DOCT. ATQUE PROF.
ORD. RECT. MAGNIFICO. PRAECEPTORI
SVO CONSUMMATISSIMO.

* * *

D. JOANNI OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. PHIL. & MED. DOCT. MEDICINAE
THEORETICAE ET PRACTICAE PROFESSORI
PROMOTORI SVO EXOPTATISSIMO.

* * *

D. PETRO LUCHTMANS,
MED. DOCT. MEDICINAE ANATOMES &
CHIRURGIAE PROFESSORI.

FAUTORIBUS, PRAECEPTORIBUS OMNI
HONORUM CULTU VENERANDIS.

Hoc specimen inaugurale

D. D. D.
AUCTOR.

* 2

TEN.

ILLUSTRI AC ACADEMIAE RHEG.
TRAIECTINAE PROFESSORIBUS

VIRIS

SOLIDISSIMIS AC ERUDITISSIMIS

* * *

ALEXANDRO PETRO NAHUY,
A. L. M. PHIL. & MED. DOCT. AB OUI PROF.
ORD. RECT. MAGNICO. RECEPTORI
SUI CONSERVATORISSIMO

* * *

D. JOANNI OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. PHIL. & MED. DOCT. MEDICINAE
THEORETICAE ET PRACTICAE PROFESSORI
PROMOTORI SUI EXOPTATISSIMO

* * *

D. PETRO LUCHTMANS,
MED. DOCT. MEDICINAE ANATOMAE &
CHIRURGICAE PROFESSORI
FAVORIBUS, TRAHENTIBUS OMNI
HONORUM CULTU VENERANDI

ACTOR

TEIN



TENTAMEN PRACTICUM
 INAUGURALE
 DE
 DYSENTERIA.



§. I.



orbum, quem CAELIUS AURELIANUS Rheumatismum intestinorum cum ulcere; febrim ad intestina conversam solertissimus SYDENHAM; Græci nominis Etymologia Dysenteriam, à δύς difficile, έντερον intestinum, & πέος fluo, cognominaverunt, Latini illum Torminosum denunciant, teste Romano Medicinæ scriptore Cornelio CELSO. Ea enim reapse nihil aliud est: Quam dejectio alvina frequens, ichorosa, cruenta, ulcerosa, cum torminibus insignibus ac tenesmo. Dysenteriae nomen satis quidem constanter uni morbo tribuitur, videtur tamen aliquando etiam Homonymice poni pro Diarrhoea, (sic Hippocr. Epid. II. §. VI. meminit Dysenteriae doloris expertis: quod

A

ma-

manifestam videtur involvere contradictionem, nisi intelligas Diarrhoeam, seu profluvii alvi id genus, quod neque sanguinolentas habet excretiones, neque dolorem nisi forte tolerabilem & fugacem) à qua tamen distingui meretur, quemadmodum & ab aliis alvi fluxibus utut torminosis.

Differentiam itaque patitur 1o. à Diarrhoea in eo: Quod in hac, tormina tanta ferocitate in canalem intestinorum nunquam faeviant, quanta quidem in Dysenteria solet esse. Neque in illis cruenti rejiciuntur humores, sed vel pituitosi duntaxat, vel biliosa colluvie permixti: qui à Dysentericis, cruenti, saniosi, putridi, ac foetidissimi redduntur. 2o. A fluxu Hepatico per sequentia signa: In Dysenteria siquidem tormina insignia, & sanguis sincerus observatur, quae in fluxu Hepatico vix conjuncta occurrunt: insimul: In Hepatica Dysenteria nihil abrasum expellitur: ac interdum duorum, aut trium dierum intervallo evacuatione supprimitur: rursus redit malum, excrementaque excernuntur prioribus pejora: quod per intestinorum ulcera haud quaquam apparere videtur. 3tio. A Cholera his proprietatibus: Illa enim ad acutissimos meretur referri morbos; & intra paucos dies finiri solet: cum è contra Dysenteria nisi fuerit summe maligna, diutius durare deprehendatur. Neque subinde Dysenterico fluori junguntur vomitiones, nisi forsan in principio, aut vigente mali impetu, si accesserit ventriculi inflammatio, illae nonnunquam occurrunt: at Cholera nunquam sine vomitu comparet; sed nec tam molesto, uti Dysenteria, tenesmo stipatur, neque tam frequentes cruoris dejectiones exhibet, multo minus contagium, uti Dysenteria spargit. 4to. A fluxu haemorrhoidali maxime torminoso, tali ratione: sanguis enim qui sub hoc effunditur, sincerus plerumque existit, & stercorum saepe numero comitatur dejectionem; cujus excretio tantum non semper insigne sanitatis post se trahit allevamentum. Contra vero in Dysenteria, sanguis inter atrocissima tormina, ac tenesimum molestissimum exprimitur dilutior, raro sincerus, sed potius cum materia saniosa, spumida, ac foetida remixtus, nec sui rejectione ullum virium relinquit incrementum; tantum abest,

est, ut in pejus sensim ruat valetudo. Denique: peculiare quo grassari solet, tempus, illam simul distinguit ab haemorrhoidali fluxu.

Sed & ipsa Dysenteria distinguitur in Spontaneam & Sporadicam, quae per ingesta depravatae indolis saepius excitatur; vel Contagiosam, quae Epidemica & saepius cum febre est, priorem benignam, malignam alteram nominare liceat, licet & prior quandoque insigniter exacerbari possit. Benigna diutius infestat, mitioribus decurrit symptomatibus, sed etiam minus est periculosa; cum è diametro Maligna, non modo contagiosam prae se fert indolem, sed exitiosa quoque post se trahit fata; ut summam virium jacturam, Exanthemata mortem minitantiā, & tandem ad summum vitae praecipitat aegros discrimen. Dysenteria autem Critica rarior esse solet, neque semper fausta, cum vires simul dejiciat. Singularis omnino morbus est Dysenteria, nulli enim sexui, aetati, parcat; sed tam Foeminas, quam Mares, tam infantes, & pueros, quam adultos, & senes infestat, adeo ut nec teneri lactantes, ab illius tyrannide sint immunes. Cum primis autem malo huic sunt obnoxii, plethorici, biliosi, & quorum ventriculus insigniori laborat debilitate.

§. I I.

Quod ad causas hujus morbi adinet, eae variae, ac multiplices deprehenduntur, ex quibus unicam in tempestatis ratione consistere, non est ut quis dubitet. Si enim aestas antecessit ferventissima ac siccissima; sub ejus finem, ubi plerumque post intensissimum, qui per diem est, Solis fervorem, noctes sequuntur frigidiores, grassantur Dysenteriae. Tum vero malum ea potissimum invadit subjecta, quae per diem justo vehementius calefacta, sudoreque disfluentia, noctu auram frigidiorē, corpori minus tecto liberius admittunt. Generant secundo hunc morbum, largius comesti fructus immaturi, vel potus fermentativi si desuper fuerint ingurgitati, minus defaecati, ut

mustum, vel cerevisiae recentes, impurae, crassae, multisque foecibus refertae. Huic potissimum saburrae, in ventriculo, ac duodeno stagnanti, debentur nausea, vomendi conatus, ipsaeque vomitiones, quae junguntur interdum Dysenteriae: à quibus Symptomatibus immunes sunt, qui absque hac concomitante causa hunc morbum incurrerunt. Producit porro hoc mali genus omnis Inflammatio, in Abscessum, Gangraenam, Scirrhum, aut demum in Cancrum exulceratum terminata. Tandem & venena, vel, quae his sunt similia, drastica vomitoria, purgantia, apprime huc referuntur. Neque ullae Cacoehymiae eximendae.

§. III.

Ex causis praecedentibus, & illis similibus natus morbus, in suo decursu sequentia edit Phaenomena: Incipit n. p. tantum non semper cum rigore febrili, aut saltem quadam Corporis horripilatione, quam calor plus minus acris ac vehemens, cum pulsu celeri, ac intensa siti sequitur, totumque morbi decursum comitatur. Rigorem febrilem, aut antecedunt, aut certe mox excipiunt atrocia imi ventris tormina; tum alvus fit lubrica, atque primum contentae in intestinis foeces, cruditates, mucosique humores; paulo post spumescens materia, cum sanguine, vel sanie ulcerosa, ac pelliculis, filamentisque velut tuni- caceis mole saepius exigua rejiciuntur. Quibus saburra quadam onustus est ventriculus, illi Nauseam, vomendi conatum, ipsosque vomitus patiuntur; & multos gravis Cardialgia, praecordiorumque anxietas discruciat. Omnes adfligit perpetua desidendi cupiditas, & tantus ani tenesmus, ut non raro taedii plena sequatur ejusdem praecidentia. Cunctas vero dejectiones, quae sunt numerosissimae, ut unius horae spacio decem, duodecim, vel etiam decem & quinque numerentur, & antecedunt, & comitantur crudelissima tormina, non in uno loco fixa, sed per totum intestinorum canalem vago itinere progredientia; & sub quavis sede sentitur molestissimus omnium qua-

si viscerum descensus. Praeterea perit omnis appetitus, summa urget inquietudo, somnus prae dejectionum frequentia oculis eripitur, atque vires mirum in modum prosternuntur. Haec sunt ordinaria Dysentericorum symptomata; quibus malo increbrescente nonnullis longe graviora junguntur. Etenim quibusdam extremis frigescentibus, interiora uruntur, ardorisque & pulsationis perpetuus sensus adest. Accedunt singultus, sudores frigidi, pallor corporis, macies, inflammationes, & similia mala. Interdum, ubi ad extrema ventum est, omnis dolor simul & semel cessat, sitis perit veluti extincta, alvus praeter voluntatem redditur cum foetore excrementorum graveolenti ac cadaveroso. Quibus accidit cum hoc morbo lactari, illi jam ante ferociam Dysenteriae, de lassitudine Corporis, ventre tumido, ac molestis veluti in eo fluctuationibus conqueri animadvertuntur. Imo Dysenterias, & si non semper, tamen plerumque, vel ventris tumor, vel Diarrhoea, aut denique Cholera antecedit.

§. I V.

Locum hujus mali Intestinalium canalem esse facile deprehendimus. At quaeritur, quatenam eorum potissime discrucientur partes, cum dividantur intestina ab Anatomicis in tenuia, & crassa? Sunt Auctores, qui solliciti, & ad unguem definire audent, an in solis intestinis crassis, an vero in tenuibus resideat malum, ajunt enim: Quod si dolor circa umbilicum atrox sentiatur fulminis instar transiens intestina; sique hunc tardior sequatur dejectio, excreta exactius fuerint mixta, major febris pro re nata, certum est tenuia laborare. Quando vero ad Epigastricam regionem, ubi Colon situm est, aut hypogastricam, atque hypochondria torminum vis incumbit, & per latera abdominis quasi excurrit, ipsaeque foeces brevi post rejiciuntur; crassa laborare in aprico est. Si utraque affecta: primo, dolor erit acutissimus, deinde obtusior, excrementa cum sanguine, pureve erunt permixta, & simul illis cruor, & materia purulenta

supernatabit. Quod si excrementum fanguineum mucosas, ac glutinosas dejectiones fere una exeuntes, tanquam lineamenta quaedam sibi intertexta exhibeat, scire licet, eum ex vasis minimis, extremi intestini recti hiantibus exire. At ubi assidua fere, inanis tamen desidendi vexat cupiditas, aut mucus fere tenax, viscidus, paucus, acer, & virulentus promanat; ulcus in recto consistere intestino, vero videtur simillimum. Crassis intestinis affectis ut plurimum febris nulla est; tenuibus vero contra, magisque humorosae ac dolorosae sunt dejectiones. Ventriculo affecto, praeter febrem, & excretiones adest vomitus. Sed non intestina tantum vitium hic fovere, sed ad vasa, & capsulam bilis, mesenterium &c. illud excurrere successively, sectiones Dysentericorum Anatomicae testantur. Quin totam humorum massam, vitio insigni corrumpi posse, docet *Brunneri Observatio*. A. N. C. Dec. sec. Ann. 6. ubi refertur de Foemina lactante Dysenterica, quae amissa prole, quo lactis copiam minueret, catellum mammis exugendis adhibere cogebatur, quo mox convulso, & mortuo, alter, itemque tertius adferebatur, eodem fato extinguendus.

§. V.

Qua jam tempestate magis observentur Dysenteriae stragem edere, ea de re *Hipp. §. III. Aph. XI.* sequentia refert: si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, Ver autem pluviosum & Australe, Aestate necesse est, Dysenterias fieri, maxime autem Mulieribus, & Viris natura humidis (ut igitur praeveniatur morbus, antequam Aestivus calor accedat, duo agenda sunt à Medico Vernali tempore: 1^o. Ut promoveatur insensibilis perspiratio, qua excluditur retentum. 2^o. Ut Corpus firmetur roborantibus.) *§ Aph. XII.* Hyemem admodum Austrinam, & pluviosam, Ver autem siccum & Aquilonium, iisdem producendis maxime favere scribit. Aestas certe ferventissima huic malo producendo opportuna deprehenditur, sub cujus finem, & Autumnii initium, mense nimirum Augusto, & Septem-

tembri, ubi post summum solis fervorem, interdiu molestum, noctes frigidiores, ventisque borealibus foetae sequuntur, malum incipit. Quare etiam, quo calidiores sunt Regiones, eo frequentiores, & graviores, sovent Dysenterias: unde eadem Aegyptiis, Indis, & Arabibus dicuntur Endemiae. Tempori adstricta est, dum populariter exoritur, & Mensibus, Julio, Augusto, & Sept. ita inhaeret, ut vix extra illos aut emicet, aut ulterius perduret, nisi tempestatum ratio valde sit inversa. Rarum est admodum teste Sydenh. Si hic morbus tempore Veris incessat. Quo magis autem Hyems accedit propius, eo certius hic morbus cedit: quoque magis ad occasum vergit, eo magis in dies à ferocia remittit. Magis vulgatur, ferociusque defaevit, ubi in multitudinem Hominum frequentes Urbes inhabitantium, aut Castra militum incidit, praesertim nec optime locata, nec necessariis praesidiis ad victum commodum instructa, quam in Pagis, aut locis editioribus, quo non facile pervenit, nisi contagio transferatur.

§. V I.

Periculosae sunt Dysenteriae Puerperis evenientes, maxime febriles, (sed non semper, dum lochiorum vices supplent, vel materiam lochiorum per vicina loca optime minuunt). Viris magis funestae sunt, quam Foeminis, Senes vero, & pueri frequentius pereunt, quam qui in media sunt constituti aetate. Ubi malum Cachecticos, Scorbuticos, Phthisicos, corripit, aut debiliores, & qui diuturnis animi perturbationibus se maceraverunt, plerumque conclamatum de iis est. Quae Dysenteria cum vomitu se exerit, & cui singultus accedit; magnum metum incutit, & periculo inflammati ventriculi terret. Exitii phaenomena sunt pariter; ubi excrementa nigra, viridia, cinericia, livida, ichorosa, foetida, & admodum graveolentia observantur, cum carunculis dejectis, nam ulcus intestinorum manifestant. Neque minus mali est ominis, quando Infusa Enemata
rela-

relabuntur, namque paralyfin intestinorum significat. Nihil etiam boni Sperandum, ubi vigiliae immodicae, extremorum frigus cum debili pulsu, internorum ardor, angina, deliria extorquent Aegros. Illud quoque scire juvat: malum hoc nunc celeriter moveri, & si febris praesertim maligna ingravescat, saepe intra dies 7. vel. 9. vel. 14. necare; modo in plures, & ad 40mum, ac ultra produci; longoque tempore, cum radices egit, aut tollere Hominem, aut etiamsi finiatur, excruciare, notante Celso. Libr. 4to. Cap. 15to. Nec non saepius in Hydropem, & Lienteriam transire, quin & in Coeliacam non raro, Tabem, ac Hecticam insanabilem mutari. Citam mortem praesagiunt: tubercula, & maculae nigrae, pone unam, vel alteram aurem ortae, tumores manuum Oedematosi. Testem Gangraenae sistit; sitis insatiabilis, remissio doloris acerrimi manifesta sine ratione. Inevitabilem vero mortem brevi secuturam labia liventia, oculi concavi, nasus aquilinus sistunt. Minus periculosa est contra est Dysenteria Hypochondriacis superveniens, imo salutaris, praesertim si ab interceptis haemorrhoidibus; non ex intemperantia, contingat, neque diu duret. Si flatus pedendo emittantur, qui prius non aderant, dolorque simul remittat. Appetitus salvus, salvum à labe ventriculum indicat, bonumque praebet signum. Salutaris insimul est Dysenteria, quae ob crus amputatum oritur. Quae citra febrile initium accedit, si oriatur ab ingurgitatione fructuum solummodo, quam quidem ab atra bile, contagio &c. Bonum praeterea signum exhibent, stercora formata cum colluvie Dysenterica excreta.

§. VII.

In Curatione hujus morbi ad sequentes indicationes generales attendendum est: 1^o. n. p. Ut acris materia vel expellatur, vel involvatur. 2^o. Vasa laesa consolidentur, aperta constringantur. 3^o. Symptomata mitigentur. Juvat interim ante curam sedulo examinare, an n. p. Dysenteria in principio suo febrim

comitem habuerit? Si ita, considerandum est, an pulsus plenus, durus, & tensus sit? Si talis deprehenditur, Vena mox secari, & cura secundum aegri vires, praesentiaque symptomata institui debet. Videndum praeterea, an non in intestinis, aut in alio quodam loco inflammatio observetur; quod si signa inflammationis adsint, huic mederi indicatio princeps habebitur, alias remedia secutura nocerent. Communis quidem multorum Medicorum, ipsiusque Hippocr. & Galeni est opinio: Alvo fluente non detrahendum esse sanguinem; verum in subiectis valde Plethoricis, diaetae vinosae addictis si Dysenteria cum febre adsit, necessariam esse V. snem ab initio morbi, docuerunt praeter alia Sydenhami observata. Neque metuedum. S. M. vires imminui, quum enim non modo plerique Dysentericorum ex inflammatione intestinorum moriantur; verum quoque Plethorici, non nisi ob nimiam sanguinis molem, ad stases, gangraenam, Sphacelum disponentem pereant: non certe convenientius in his periculis antevertendis V. S. reperitur praesidium. Cavendum tamen à M. S. ubi virium dejectio in principio morbi ex pulsu debili, & reliquis functionibus cognoscitur, ubi habitus corporum laxior, & morbi indoles vere putrida est.

V. S. instituta, si acris, & putrida saburra in primis viis haeret, tali in casu imprimis utilis est vomitus per *Ipecacuanham* excitatus. Radix enim haec pro specifico Antidysenterico à multis habetur, eo quod, non tantum materiam peccantem ex ventriculo ejiciat, sed etiam blande alvum subducat, & intestinis debilitatis robur reddat. Praxis scopo emetico in pulvere scrup. unum, duos adulto imperat: Infantibus cum saccharo, grana tria, quat. exhibentur, in infuso adultis dr. una, duae, sufficiunt. Sed sedulo prius perpendendum, an aegri vires emetica, absque vitae periculo pares sint ferendo? Numquam enim contingit, ut in principio morbi aeger jam valde debilitatus deprehendatur, impotensque ad efficaciam illius remedii perferendam. Si assumptorum noxiorum partem maximam ad intestina jam descendisse cognoscimus, unde vomito-

rio revocari amplius non potest, laxantia exhibenda sunt. Laudatur in hunc finem *Rhabarbarum*, & quidem felicissimo cum successu, vel ejus loco *Anima*, seu *Tinctura Rhei sine sale*, vel infusum *Rhei simplex aquosum*. Sed, & in hujus propinatione illa *Crisis* quae in vomitorio accidere solet, observanda. Num scilicet ferre possit *Patiens purgantia*. Si contingat, ut neque *Vomitorium*, neque purgans administrari possit, Quaeritur tunc, & merito, quid in his casibus sit faciendum? Dico: Examinandum eo tempore esse, an haec debilitas ex frequentibus admodum, & copiosis dejectionibus originem ducat, num *Naturae vires à causa maligna contagiosa suppressae sint*? In primo enim casu remedia alvum sistentia exhibenda sunt ex *Pulv. rad. tormentill. Syr. diacod. Aq. flor. rhaead.* quam primum vero malum notabiliter remittit, stiptica haec removenda, & leniora exhibenda sunt. In casu secundo autem, roborantibus, & stimulantibus medicamentis, vires naturae erigendae, ergo *aq. rutae, acet. antisept. Syr. Cort. citr.* in usum vocanda, simulque ad *Nucham*, & *furas vesicantia* ponenda. Si pulsus exinde insurgere, vires incrementum animadvertatur, ut plurimum etiam *Dysenteria* remittit, atque tunc aeger remedia assumere debet, ac si febre maligna putrida laboraret. Hinc viribus non redeuntibus magnum semper vitae periculum instat. At si malum in crassis intestinis resideat, *Enemata emollientia* huic succurrunt.

Involvitur acrimonia per *Decocta avenae, hord. Rad. scorzon, chinae &c.* quibus etiam *Symphiti radix* addi potest. Juvant similiter *Emulsiones ex amygd. dulc. pineis, &c.* Haec enim, partim acrimoniam involvendo, partim vias lubricas reddendo, votis faciunt satis. Alii *gelatinam C. C. vel Eboris*, similiaque pinguis subministrant aegris. Quamvis vero haud in totum improbari queant haec remedia; jubet tamen prudentia, ut in illis exhibendis caute procedatur, non ergo haec in rancida acrimonia sunt suadenda, multo minus exhibenda. Jactitant usum lactis alii, verum quod ad lac adinet, illud solum, maxime si acida in primis viis abundet saburra, ob coagulum, quod

quod ibidem facile subit, & inde metuenda symptomata non convenit in Dysenteria. Verum, idem coctum, & cum aqua pura fluviali, vel fontana mixtum, aut serum lactis, ob vim fitim, & aestum temperantem, acrimoniam insimul humorum aliquantulum obtundentem multum meretur commendationis. Neque Bolus armena ex hac indicatione eximenda, modo magna ingeratur copia. Medicamentum enim hoc corpus non turbat, hinc neque scrupulose debet dosis definiri. In pulvere datur dr. sem. un. pond. un. vel duar. in mixtur. unc. etiam unius aquae libra una emulsa, addito syrupo cochleatim exhiberi potest. Laudatur & novum illud remedium Radices Salab. si enim hujus radices subtilissimae pulverisatae dr. una, unciis octo aquae calidae infunditur, leni calore super ignem solvitur, ac per linteum expressa à paucis suis faeculis depuratur, abit in pulcherrimam veluti gelatinam. De hac singulis duabus, tribus, vel quatuor horis sumatur cochleare dimidium, vel plus, minusve, pro uti necessitas exigit, haec enim acrimoniam commode involvit, temperat, doloresque lenissimo modo demulcet, ac mitigat; illaque partibus solidis fortius adhaerescens, arrosa intestina, tanquam balsamo blandissimo delinit; hocque ipso respectu aliis mucilaginosi, gelatinosi, vel gammosis praeferenda est. Si quis vero deprehendatur, cui sapor ille minus arrideat, potest addito convenienti syrupo. e. g. Citri, berber. papav. &c. pro gustu aegrotantis temperari. Praeterea nullum damnum, aut periculum ex ejus usu metuendum est.

Secundae Indicationi satisfit per talia remedia, quae vi adstringendi gaudent. Laudatur eum in finem *Cortex Cascarillae* in Essentia, pulvere, & extracto aquoso datus, praesertim in Dysenteria Epidemica, *Cort. granatorum*, in forma infusi, vel decocti ad unc. dimid. exhibitus. *Cort. Peruvianus* hic enim non solum dejectiones, & dolores ventris mitigat, verum etiam ad febrem profligandam aequè ac ad tonum ventriculi & intestinorum restituendam multum confert. *Cort. Simarubae*, hujus vires medicae in Dysenteria sunt specificae, si drachmarum duarum

pondere in libris aquae, vel cerevisiae duabus coquatur ad tertiae partis remanentiam, residuum in doses quatuor, una tertia quaque hora propinandum, dividatur: vel dr. semis pondere in pulvere detur. *Succus Catechu, Rad. Arnicae.* Haec vires anodynas in Dysenteria frequenter exerit, fibras leni sua styptica vi blande roborat. Neque quisquam Dysentericorum Hydropticus evadet, si radicae utatur Arnicae, nisi jam provento morbo illa incipiat uti, dum ferociam contraxit, digestionem etiam ciborum promovet, sicque lentam in humoribus Caco-chymiam nasci prohibet, jam natam corrigit. Eam ob rem ut aegri illud libentius sumant, tertia, vel quarta pars sacchari commode illi potest addi.

Sed probe notandum: cuncta haec, & alia etiam adstringentia nocere summopere, si, materia maligna necdum evacuatam, adhibeantur, acris enim haec materia intus retenta, & ab adstringentibus suppressa, procreabit Cardialgias, singultus, anxietates, inquietudines, vel funestas intestinorum inflammationes, ubi igitur post horum usum augentur tormina, prudentia suadet ilico remove adstringentia & roborantia, cohibitasque dejectiones revocare. At quaeritur: unde ergo certi esse possumus materiam morbificam esse evacuatam, adstringentiaque jam tuto adhiberi posse? Dico: Hoc, ex pulsu tranquillo, & acquabili, torminibusque ac tenesmo sublatis, tum ex ipsa dejectionum specie posse cognosci, quae quamvis liquidae & frequentes, colorem tamen, atque odorem magis naturalem exhibent, minusque mucosae sunt. Quando itaque hoc tempus expectavimus, quod dierum numero vix definiri potest, sed ex cessatione diorum symptomatum cognoscitur, uti monui, vix indigebimus aliis remediis, nisi quae similia sunt praecedentibus, & intestinorum exulcerationi penitus consolidandae inserviunt.

Tertia Indicatio requirit symptomatum mitigationem: *Torminibus itaque occurrunt oleosa blanda, inprimis Ol. amygd. dulcium. Ol. olivar. Ol. lini, &c. magna quantitate, ad aliquot uncias, singulis vicibus hauriendum, vel per se, vel cum saccharo remixtum,*

tum, quia parca dosis parum proficit. Insuper & Gummi arabicum, Tragacantha, in aqua solutum, vel cum decocto Simarubae remixtum in auxilium vocanda, non enim laudabili carent effectu. 2do. Opiata. Observandum tamen, ne nimis larga manu, nimisque crebro offerantur: multo magis ne dum febris nimium urget, propinentur. Longèque minus probandum, si quis integram curationem expectare ab iis solis vellet. *Si dolores in Abdomine crucient*, Cataplasmata ex Emollientibus herbis parata admovenda. *Tenesmo*, Clysmata emollientia anodyna subvenient ex lacte, vel jure carniū, vel decoctione seminum lini parata, quibus apta amyli portio, cum viginti, vel triginta Tincturae Thebaicae guttis adjecta est: aut Decoctum Verbasci in lacte, externe, cum Spongia, & linteis multiplicatis applicatum. Interne vero, Diascordium Fracastorii cum aqua melissae propinatum, quae tenesmo ex aliis etiam causis orto, convenire videtur. *Ubi flatus praecipue vexant*: Aqua, in qua flores Chamaemeli maduerunt, vel cinnamomum, aut caryophylli aromatici leviter macerati sunt, levamen adferunt. *Ad sitim nimiam sedandam*, aqua mere simplex cocta, & ad teporem remissa propinetur, vel Emulsiones amygdalinae dilutiores, potus enim actu frigidus manifeste eos laedit, imo frigus externum ano admissum, tenesmi ferociam insigniter intendit. *At si vomitus torqueat aegrum*, ut tam sursum, quam deorsum purgetur vehementer, viribus tamen sibi constet, remediaque evacuantiā ferre potest, pro ratione causae diversae, Emetica, aut purgantia, vel potus attenuantes aciduli, aut clysmata conducunt, quibus tamdiu insistendum, quamdiu id symptomata exoptulent, & aegri vires admittant. *Contingit quandoque, ut ventriculus & intestina à saburra liberentur, nec tamen vomitus, & alvi defectio cessent.* In hoc casu sine mora de remedio ex syr. diacod. aq. flor. rhoead, & Laud. liquid. composito, omni dimidia hora ad duo cochl. porrigendum, donec malum emendetur. Si vero aeger exhaustus esset, habitus corporis cadaverosus, cum virium defectu, adeo, ut sine vitae periculo Evacuans propinari non possit, ilico, de medi-

camento, ex aqua meliss. cinnamom. Syr. diacod. facto, omni femiquadrante horae, duo cochl. sumat, ad mali, notabilem usque emendationem, post hoc rarius exhibendum, atque sic procedendum, donec hic motus inordinatus, sedatus fuerit. Quod si vero in praesenti memorata remedia nihil profint, tunc actum est, in animi enim deliquium labuntur aegri, extremis frigescentibus, & spasticae contrahuntur, tandemque sub convulsionibus, & anxietatibus moriuntur. *Sed & Petechiae, aut miliaria etiam erumpunt quandoque in toto corpore, verum, haec si cum notabili, & constanti levamine fiant, reconvalescentiae futurae signum dant; quod si vero earum eruptio cum sudore frigido accidit, nigroque apparent colore, pulsus continuo minor, debilior, respiratio laboriosior evadat, urina fusca, nigra, foetens reddatur, alvus putrida, vel sanguine putrido mixta deiciatur, adhaec abdomen intumescat, & pedes frigeant, pallescant labia, aut nigro-coeruleascentem prae se ferant colorem, spasmi, & delirium accedant, non erit in potestate Medici ad vitam revocare tales, quia haec signa mortis sunt indicia. Nonnunquam Dysenteria in Diarrhoeam serosam mutatur, quae interdum difficillime tolli potest. Coelum, vel loca mutare, Equo vehi, vel navigare proficit. Multum enim haec auxilia ad cursum humorum ab intestinis revocandum valent. Oportet eodem tempore corpus sollicitè contra frigus munire, eaque medicamenta assumere, quae perspirationi augendae inserviunt. Ad Dysuriam, vel stranguriam tollendam: Balsamus sulphuris simplex, vel anisatus, adhibendus, imprimis in principio morbi; modeste vero ad paucas guttas, semel, vel bis tantum in die cum Decocto simarubae, aut aliis mixtus, alias, & si non semper, tamen frequenter alvum stimulare observatur. Dene-gato vero his aegris somno, ob tenesmi, vel colici doloris vehementiam, Laudano liquido succurrendum. Si post Dysenteriam nimis mature, aut imprudenter suppressam Abdomen durum manet, nauseant tunc aegri tales, & flavi ut plurimum, aut terrei coloris faciem gerere observantur. Convenit his omni secunda, aut tertia die purgans ex Rh. elect. & Sal. polychr. exhibe-*

bere, ne in priorem relabantur morbum, eo vero die semper, quo purgans sumserunt ad vesperam paregorico utantur.

§. VIII.

Qui jam ex Dysenteria diutius protracta convalescere, ac vires resumere incipiunt; illis, ut pristinum, & morbo labefactatum ventriculi, ac intestinorum robur, cum vi digestrice recuperent, exquisita diaetae, ac victus ratio praescribenda est. Haec si negligitur; lenteriam, febres lentas, tabem, pedum Oedemata, flatus Cachecticos, spasmos hypochondriacos, aliosque Chronicos affectus insequi, plus simplici vice licuit adnotare. Ad quae arcenda egregio usui, praeter exactam diaetam, est vinum generosum, uti Hungaricum, parcius inter cibandum potum. Praestat autem haec semper successive perficere, ac vires potissimum fractas, atque depressas, sensim analepticis reficere, ac refocillare. Itaque imo. *Respectu aëris, calorisque*, aequalis semper temperies debet conservari: sicuti enim omnis refrigeratio, sive per admissum ab extra frigus, sive per ingestos gelidiores potus, certissimum minatur damnum: ita quoque nimius calor, & exaestuatio, per conclavia valde calefacta, multam lectorum, stragulorumque interpositionem, aestum febrilem, & anxietatem adaugendo, nunquam noxae gravioris expers est. Quamobrem Dysenterici se quietos, animique tranquillitati sedulo studentes, in temperato & lecti, & domus calore continere debent. Porro: Quam nullum morbi genus tam foetidum, abominabile, sit, quodque tam putridis exhalationibus aërem inficiat, quam ipsa Dysenteria, videntum est, ut non in ipso conclavi, in quo degit aeger, verum potius vicino, si vires patiantur, moderate calido fiant dejectiones, haeque statim removeantur. Non minus suffumigiis, ex Mastiche, & Succino, noxia aëris corrigenda est qualitas. Ubi vero vires permittunt è lectis surgere, consultum erit, vas quoddam, recipiendis excrementis opportunum, lecto supponere, si prius decocto calidiori ex floribus malvae, Sambuci, semi-

mineque foenugraeci imbutum fuerit; in quod decumbentes alvum dejiciant. Necessè est insimul Dysentericos statim à consortio aliorum sanorum, & aegrorum dimovere, etenim ut plurimum ita inficiant aërem, ut coeteri quoque ibidem degentes vel eodem morbo, vel sane, febre maligna putrida contaminentur. Neque quisquam iisdem sellis perforatis, aut matulis utatur. in quibus Dysenterici sua deposuere excrementa. *ædo. Respectu edulii*, victus conducit facillimus, cibique non nisi molles in usum vocandi. Panis biscoctus cum pauxillo vini, imprimis rubri, concedatur, nisi febris contradicat: at si febris urget, serum lactis decoct. panis, vel avenae excorticatae, maxime vero juscula tenuia cum medulla palmae fariniferae (quam Sagou dicunt) commendantur. Alia etiam juscula, ut & ovum sorbibile sunt optima, nisi in febre auctiore haec respuant aegri, potus oportet esse tepidos, nec convenit ulla Cerevisia, sed potius decocta, & infusa theiformia. Aliena sunt in hoc morbo irritantia, uti salsa, acria, &c. quia haec sunt mordacia. Insuper vix datur ullus morbus, in quo pedum refrigeratio, tam grave, imo mortis periculum injicit, quam in Dysenteria, eam ob rem, opere est pretium, saepius calidos lateres pedibus subponere.

T A N T U M.

THE

T H E S E S.

I.

Quavis hoc non generetur in puellis ante pubertatem, & graviditatem secundum naturae ordinem, non tamen si adest, demonstrat semper corruptam pudicitiam, cum & in viris quandoque reperitur.

II.

Menstruationis causa, neque a fermento quodam uteri peculiari, aut ex periodo Lunari, multo magis à plethora dependet universali, sed causam habere videtur in plethora uteri particulari.

III.

Venerea lues singularem acrimoniam contagiosam pro sua causa agnoscit, quae nunquam per se ipsam, ex quadam nostrorum humorum corruptionis indole enascitur, sed semper per contagium infertur.

IV.

Dantur morbi absolute incurabiles.

V.

Chlorosis virginum apprimè nonnunquam curatur per Connubium.

C

VI.

V I.

Walde probabile est Foetum Humanum in Ovario Materno delineatum esse, neque ex substantia seminis Virilis generari.

V I I.

Perpetuus Embryonis motus, & causa somni in Embryone absens; eum perpetuo vigilare in utero suadent.

V I I I.

Animatio Embryonis, in consociatione mentis cum Corpore consistit, hinc & haec primo conceptionis momento contingere debet. Cum nulla vita animalis sine mente existere possit, quidcunque demum nonnulli dicant.